



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1650**

§. 1. Fouea alijs destinata, fodienti facta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)



CAPVT V.

Varijs S. Scripturae locis ostenditur, poenam talionis fuisse indicatam, & inculcatam.

§. I.

Fouea alijs destinata, fodienti facta.

**S** Ed satis fabulae talionem ostendunt, in malis inferendis, & referendis. Id ipsum etiam sacrae litterae saepius docent. Dauid enim ait: *Lacum aperuit, & effodit eum: & incidit in foueam, quam fecit: & filius eius: Qui fodit foueam, incidet in eam, & qui voluit lapidem, reuertetur ad eum.* Item: *Qui fodit foueam, incidet in eam, & qui dissipat sepem, mordebit eum.* Quin & in Ecclesiastico legimus: *Qui foueam fodit, incidet in eam, & qui statuit lapidem proximo suo, offendet in eos; & qui laqueum alijs ponit, peribit in illo.* Ac ibidem: *Qui in altum mittit lapidem, super caput eius cadet: & plaga dolosa dolosi diuidet vulnera.* His similitudinibus diuina Scriptura ostendit, dolos & insidias in eum recidere solitas, qui illas alijs fraudulenter struit. Primam similitudinem à fouea sumptam, quidam ita exponunt.

Psal. 7.  
16.

Prou. 26.  
27.

Eccles. 10.  
8.

Eccli. 27.  
29.

Ib. v. 28.

VT



nunt, vt dicant, eum, qui alteri foueam, id est, sepulchrum aperit, vt ipsum secreto peremptum condat; Dei prouidentia, saepe ipsum in eam inferri. Quo pacto multi filij patris sui mortem optantes, tumulum, & epitaphium ei, ante tempus fecerunt; sed ipsi prius mortui, ibidem humati sunt. Alij, magis appositè, aiunt Salomonem ducere similitudinem à venatoribus, qui foueas, seu scrobes faciunt in semitis ferarum: easque vel gramine, vel stramine contegunt complanantque, vt bestias illac transeuntes deludant, incautiisque incedentes & incidentes comprehendant. Quid si à bellis sumpta sit similitudo, in quibus aliquoties suffossis cuniculis hostis hostem dum captat, ipse capitur; bestijs vel flammis, per eosdem cuniculos illi obuiam missis? vt eadem via qua exitium inducere vrbi parabat, exitium recurrat ad fossorem. Idem quod *fouea*, significat in Psalmo *lacus*, hoc est, cella subterranea, carcer, sepulchrum. Ita quisquis dolos, & insidias, & foueas, quisquis calumnias, custodias, aut sepulchrum alteri parat, ipse iisdem, aut similibus fraudibus insidijsque, & malis peribit. Enimuerò, ita homo dolosus & insidiator suis ipse dolis  
insidijs-



insidijsque plerumque comprehenditur, iisdemque artibus, quibus alijs nocere cogitat, sibi perniciem consciscit. Quod passim contingit ijs, qui volunt esse architecti fraudum & insidiarum; decipientes enim decipiuntur, vt Herodi cum Magis fallaciter agenti contigisse scribens Petrus Chrysológus ait: *Fremitt dolositas se deceptam, & in se fraus reuersa colliditur. Herodes stridet cadens ipse in laqueum, quem tetendit. Er infrà. In altum tendens, cadit ab alto; celum pulsans, intrat profundum; in se vadit, qui vadit in Deum.* D. Cyrillus ait: *Semper persecutoribus Ecclesia conatus ipsorum in caput reciderunt; & tangunt suammet pupillam.*

Petrus  
Chrysol.  
1er. 152.

D. Cyril-  
lus in Za-  
char. 11.  
14.

§. II.

*Lapis ad voluentem reuertens.*

Altera similitudo est: *Qui voluit lapidem, reuertetur ad eum;* quod plerique ita exponunt, vt dicant, sicut quis ex edito loco lapidem in alterius caput deucluit, vt ex turri, vel monte, vel colle, qui ad eum redeat; ita sæpe contingit, vt illa ipsa pernicijs, quam per fraudem in alios molimur, in verticem nostrum remittatur. Hanc interpretationem non nemo putat violentam, cum fingat, lapidem contra naturam suam

Prou. 26.  
27.

E

sursum